

DE UNICORNU. 65

Pertinent ad hanc classẽ locustæ volatiles, *Cavaletti* dictæ Italis, quæ A. 1542. Patavinos agros inundarunt eo numero, ut solem meridianum obnubilarent. Frons duobus cornibus hirsutis prominebat, ex rostro verò aliud in cochleas flexum, caudæ Chamæleontis instar, protendebatur. Harum ducem in amplissimo S. Justinæ cœnobio ad triclinium propè hortos Patavii effigiatum lustravimus.

CAP. X.

Orygis Etymon: qui Unicornis Aristoteli. Non esse Gazellam, nec Cervum, sed Capram contra magnos Viros probatur. Subulorum Plinii varia interpretatio. Tibicen subulo, & alia.

NOmen Orygis Græcorum debetur origini, ut infinita alia quæ Arabicis juncta scientiarum nostrarum terminos conficiunt, & vel à fodiendo traxit appellationem, vel ab instrumento fossorio, cui simile sit Orygis cornu. A fodiendo quidem ὄρυξ dictus, quia